

scriptores (b), animos scribentium languidos pariter redderent: vel, cum ore quidem Germano vterentur, calamo autem nonnisi Latino (c) hunc scite vertere inter scribendum, esset in expedito paucissimis (d); vel etiam homines ordini sacro addicti, hi enim, nobilitate literas parum aut nihil curante, scribendi spartam solum occupauerant, res tantum suorum annotarent, insuper habitis aliis (e): vel tandem, causis generatim dictis, peculia-

(b) *Vt bodie militi tantum non turpe est, excellere in musurgi-
cis: ita olim germanica nobilitas litteras habuit suo ordine in-
dignissimas. Non miror. Post agriculturam & militiam nil in
pretio aut honore fuit seculis incultis. Eodem iudicio bodie-
que molles haberit artes solent in seculis militaribus. Exemplo
esse debent tempora belli tricennalis. Sui cuique seculo, adde
& reipublicae, hic mores sunt. Non eadem omnibus honesta
aut turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari, scribit do-
cetque Aemilius Probus.*

(c) Id quidem de omnibus Europae incolis verum est, Grae-
cis tantummodo exceptis. Nam ante duodecimum seculum
Hispanice, Gallice, Anglice, Suecice, Danice, Polonice, Bo-
hemice, Hungarice scriptum non est, si codicis sacri ex-
ceperis quaedam fragmenta & steriles quorundam lapidum
& membranarum inscriptis. Omnes autem hi populi, si
quando aliquid litteris confignarunt, vni sunt sermone Lat-
ino. Hunc enim quamvis intelligerent paucissimi, omnes
tamen in scriptis contractibus adhibuerunt. Testes vide-
mus in diplomatibus, quae nos maiori numero Latina habe-
mus, quam vlo vnquam aevo vidit Latium.

(d) Evidem scio, latinitatem de nitore suo altero statim se-
culo dilapsam esse. Post vero in peius ruere coepit, quod
homines Christiani noua vocabula adfectarent, quibus vo-
luerunt a paganis internosci: quod vulgarium linguarum
idiotismi cum venere Latii commiserentur: quod lingua La-
tina ex ingenio magis fingeretur, quam ad imitationem co-
leretur melioris notae scriptorum.

(e) Ex quo scilicet aliquis sacer factus antistes; ecclesiae lar-
gitor munificus; conditor templorum, scholarum, coenobio-
rumque; eius memoriam, laudemque gentis celebrarunt, vn-
de fuerat oriundus. Illud etiam aduerti debet, nullo tem-
pore defuisse homines, qui synodorum, conciliorum, haere-
sium, rerumque sacrarum alia argumenta in historiam refer-
rent. Contra in comitiis & solennibus imperii conuenti-
bus,